

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Franz Wolf Johann Adolph Rossmann

## **Disputatio Logica De Univocis**

Rostochii: Kilius, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730589196>

Druck Freier  Zugang



R u phit 1675  
Franciscus - Volk  
Johann Adolf Rostman



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730589196/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730589196/phys_0002)



DISPUTATIO LOGICA.  
*De*  
**UNIVOCIS,**  
*Quam*  
**AUSPICE DEO,**  
Consentiente amplissima Facultate Philosophica,  
Sub Præsidio  
*VIRI EXCELLENTISSIMI & CLARISSIMI,*  
**DN. FRANCISCI  
VVOLFII,**

Philos. Magistri, & Log. in Academia  
Rostochiensi P. P. Præceptoris ac Fauto-

ris sui æstimatissimi,

*Placidæ Eruditorum disquisitioni sifit*


**JOHANN ADOLPH ROSMAN,**  
Bordesholmo - Holsatus.

AUCT. ET RESP.

**IN AUDITORIO MAJORI,**  
Horis consuetis,  
Die 24. Martii Anno 1675.



**ROSTOCHII,**  
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



SUMME REVERENDO, PERILLUSTRI  
ac GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

# JOHANNI HEN- RICO KIELMANNO

à KIELMANSECKE,  
IN QVARNEBEECK, MARUTHENDORF &  
CRONSHAGA DYNASTÆ HEREDITARIO,  
CELEBERRIMO SLESWICENSIO COENOBI  
PRÆPOSITO & CAPITULI ibidem CANONICO,  
SERENISSIMO item CIMBRORUM DUCI FELICITER  
REGIMEN SLESWICENSE, HOLSATICUMq; TUTANTI

CONSILIIS PROVINCIALIBUS JAM PRIMO,  
IN KIEL & BORDESHOLM PRÆFECTO MERITISSIMO.

Evergetæ ac Mecænati meo omni cultus

debito ætatem observando,

Felicitatem æternum duraturam..

**N**on leves, GENEROSISSIME DOMINE, non le-  
ves, inquam, sunt causæ, quæ perillustri nomini  
tuo philosophicam hanc dissertationem conse-  
crandi calcar mihi addiderunt. Ut enim taceam  
admirandam, qua arres liberales earumque cultores di-  
gnaris, benevolentiam, sicuti ab aliis, ita etiam à me in-  
castris Musarum milite hoc, imò majora, depositem;  
quantum me incitavisse dicam non commerita benefi-  
cia, quæ in parentem meam suo modo ad me quoq; per-  
tinentia contulisti? Tanta nimirum illa sunt, ut facile  
agno.

agnoscam, consultius mihi esse, tacita eorū veneratione  
delectari, quam multis verborum ambagibus ista hic re-  
petere. Cum enim facundia ad hoc ipsum præstandum  
necessaria destituar, verendum esset, ne ea potius debitis  
privarem laudum condecoramentis, quam exornarem.  
Hæc propter justo hic sum brevior, quippe qui video pro-  
lixiorem sermonem in causa futurum, ut gratum animū  
contestatus fierem ingratissimus. Illud tamen non pos-  
sum non affirmare, GENEROSITATIS TUÆ merita,  
quæ ex merito me non posse deprædicare, multò mino remu-  
nerari, jamjam confessus sum, effecisse, ut me totū ipsi  
debeam. Debui adeo etiam præsentes studiorum meo-  
rum primitias, unde eas in perennaturæ observantiæ meæ  
monumentum tibi, MAGNE MUSARUM PATRONE,  
dedicare ex debito volui. Parva quidem res est hoc ipsum  
munus, ut pote cui nec materiae gravitas, nec accurata e-  
jus explicatio aliquem conciliat splendorem; inter eas  
tamen, quas hactenus possideo, facile maxima. Cum adeo,  
quicquid potui, obtulerim, non infirma me spes tenet, so-  
re, ut, quemadmodum tertia Monarchiæ Fundator, A-  
lexander Magnus, puriore aquam à rusticō quodam al-  
latam benignè quondam exceptit, ita quoq; hoc, licet sit  
nullius momenti, donum serena fronte acceptetur. Atq;  
ideo pedem jam figo: DEUM tamen T. O. M. supplici-  
bus prius veneror suspiriis, ut SERENISSIMI PRINCI-  
PIIS, Patriæ, omniumque bonorum emolumento quam  
diutissime vivas, valeas, floreas. Fiet. Dab. Rostochii

SUMME REVERENDI, PERILLUSTRIS  
atq; GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

*Subiectissimus Cultor*

J. A. Rosman.



## D. D.

S. 1.

**C**um de Univocis dissertare stet sententia , nihil prætermittendum esse ducimus , quod huic tractationi aliquam lucem queat affulgere . Quia ergo inter alia etiam hoc promittit ipsa vocis hujus ex derivatione explicatio , methodo in proponendo themate simpliei alias usitatæ insistendo , brevibus hanc præmittere lubet . Descendit autem vox , univocum , à verbo , univoco , quod est compositum , ex adjectivo , unus , & verbo simpliei , voco , nihilque aliud significat , quam eadem ratione denominio . Unde vi originationis univocum idem erit , quod eadem ratione denominans vel denominatum .

S. 2. Dicuntur univoca alias *συνώνυμα* vocabulo Græco composito ex particula *σύν* & nomine *ὄνομα* , priori ejus o transiente in *ω* , posteriori in *υ* ; quod in hujus vocis compositis fieri testis est *Scapula in Lex. Græco-Lat. num. m. 1171* . Erunt adeo Synonyma vi vocis nihil aliud , quam connominantia i. e. plura inferiora simul denominantia , vel connominata ; ex usu tamen loquendi plus important , cum idem sint , quod eadem ratione connominantia vel connominata . Et hoc modo sumpta cum univocis demum & quæ late patent . Quin interdum *ἐνώνυμα* in significatione convenire cum univocis constat ex *Arist. l. 7. metaph. c. 9.* Licet enim hæc vox communiter vertatur per & quivoca , in loc. cit. tamen reddendam esse , per univoca probatur ex eo , quod ibi inter alia assimet Philosophus , genitum , & id , à quo semen proficiscitur , esse *ἐνώνυμον* . Hoc vero esset aperte falsum , si *ὄντανυμα* aliam ab univoco significacionem hic obtineret , & per & quivocum explicari vellet . Vid. plura hac de re agnd B. Stat. Reg. Phil. p. 2. disp. 2. Reg. 3.

A

S. 3. Trj-

§. 3. Triplices alias apud Auctores inveniuntur univocorum sive  
equivocorum acceptio. Alia enim dicuntur univoca seu synonyma.  
Grammatica, alia Rhetorica, alia Logica. Grammatica sunt duo  
vel plura vocabula unam rem significantia; qualia constat esse voces;  
Eos & gladius. Rhetorica vocantur phrases minimam duæ idem  
significantes. Logica quid sit, in subsequentibus videbitur. In  
iis quippe, missis ceteris tanquam ab hoc loco alienis, praesens nostra  
occupabitur disputatio.

§. 4. Dari talia univoca luculenter patescat ex subsecuturis  
argumentis. Primum erit hoc: Si dantur nomina significantia a-  
liquam rationem pluribus communem in eadem significatione, se-  
quitur dari univoca. Atqui dantur nomina significantia aliquam  
rationem pluribus communem in eadem significatione. E. sequitur  
dari univoca. Connexio Majoris clara est, cum antecedens sit ipsa  
univocorum definitio. Jam data definitione necessario dabitur de-  
finitum; ratio hujus, quia non possumus scire, quid res sit, nisi an-  
teea constet eam esse. Non cognitienim nulla est scientia, adeoque  
nec definitio. Minor pluribus poterat probari exemplis, videtur au-  
tem vel unicum sufficere. Animal igitur E. G. est vox significans  
rationem aliquam, nempe animalitatem, communem pluribus, puta  
homini & bruto, & quidem in eadem significatione. Notat quippe  
animalitas nihil aliud, quam rationem aliquam per actum intellectus  
ab inferioribus abstractam, quæ actui dicto corpus animatum sen-  
tientis absque differentiis specificis inferiorum repræsentat. Ex hoc  
autem, quod ab inferioribus, homine & bruto, ratio illa abstrah-  
atur, patet, eam esse illis communem; alias enim non potuissest ab  
iis abstrahi. Ex eo vero, quod nil aliud repræsenter, quam corpus  
animatum sentiens, merito concluditur, esse communem homini  
& bruto in eadem significatione. Secundum est: Si dantur prædi-  
cabilia, etiam dantur univoca. Atqui dantur prædicabilia.  
Ergo etiam dantur univoca. Majoris consequentia probatur;  
quia inter alia requiritur ad prædicabilia, ut univoce prædicentur:  
Jam nihil potest univoce prædicari, nisi sit univocum in ordine ad  
sua inferiora, de quibus prædicandum est. Necessario igitur ipsa  
prædicabilia debent esse univoca. Si vero sunt univoca, iis datis dabun-  
tur univoca. Minorem concedunt Logici communiter omnes, idque  
propterea, quod usus prædicabilium per totam ferme Logicam se  
extendat.

S. 5. Esse

§. 5. Esse autem Univoca considerationis Logicæ, §. 3. subd.  
innuimus, & jam ulterius probatur ita argumentamur: Ad quam  
disciplinam pertinent prædicamenta & prædicabilia, ad eandem  
etiam pertinent univoca. Atqui ad Logicam pertinent prædicamen-  
ta & prædicabilia. E. ad Logicam etiam pertinent univoca.  
Major est perspicua, cum doctrina de univocis sit summe necessaria  
ad prædicamenta & prædicabilia; ita quidem, ut nihil possit in præ-  
dicamento aliquo collocari, vel inter prædicabilia referri, nisi ex  
hac doctrina perspectum sit illud esse univocum. Minor, quantum  
ad id, quod dicat, prædicabilia pertinere ad Logicam, non videtur  
probatione indigere, cum illud vix abullo negetur: quantum vero  
ad alterum, quo ad eandem refereuda esse prædicamenta vult, statu-  
minatur, tum quod necessaria sint ad finem Logicæ obtinendum,  
tum quod prædicamentum sit nihil aliud, quam dispositio secun-  
dum genera, species, individua & differentias. Hæc autem non po-  
test in ulla alia disciplina considerari quam in Logica. Unde etiam  
*Excellentissimus D. Calovius*, quatenus secundum dispositionem præ-  
dictam Substantia & Accidens considerantur, tractationem de iis à  
metaphysicis abesse vult in part. spec. Metaph. div. art. 2. c. 1. Ma-  
net igitur firmum, in Logicis debere pertractari univoca, utpote di-  
recte eo pertinentia, & quidem in parte prima, ubi agi solet de ter-  
minis. Est enim omne univocum aliquis terminus, & quidem con-  
cretus, cum concrescat ex eo, quod habet univocationem, & ex uni-  
vocatione ipsa.

§. 6. Cum autem terminorum alii sint notiones primæ, alii  
secundæ, notandum, vendicare univoca aliquem sibi locum inter no-  
tiones secundas. Has alii volunt esse conceptus secundos primis su-  
peradditos, alii nomina primis superimposita. Licet prior senten-  
tia non sit absurdæ, eligimus tamen hac vice posteriorem. Sunt  
autem notiones secundæ in triplici differentia: Aliæ sunt Gramma-  
ticae V. G. masculinum, fœmininum &c. Aliæ Rheticæ V. G.  
tropus figura &c. Aliæ Logicæ, inter quas referendum est univo-  
cum, de quo in præsenti.

§. 7. His expeditis, univocorum definitio subiectanda esset;  
verum cum illa ipsa ita sint comparata, ut non satis commode unica  
definitione generali queant explicari, lubet imitari Aristotelem, qui

A 2

videns

videns, quantitatem in sua latitudine non posse apte una definitione exprimi, divisionem ejus ipsis definitionibus praemittere non dubitavit lib. Categ. c. 6. adeoque univoca prius distinguemus, postea ea definituri.

S. 8. Sunt autem univoca vel univocantia vel univocata. Univoca univocata subdistinguuntur in essentialia & accidentalia. Deinde à nonnullis univoca dicuntur vel esse participata vel participantia; de quibus fusius in subsequentibus erit agendum.

S. 9. Univoca univocantia sunt nomina, quæ significant rationem sive naturam aliquam pluribus communem in eadem significazione E. G. vox, homo, est univocum univocans, cum sit nomen significans naturam aliquam, nempe humanam, communem pluribus, Petro, Paulo, Johanni &c. in eadem significazione: Petrus enim est homo, Paulus ac Johannes pariter, & quidem ita, ut nemo ex his sit magis vel alia ratione homo, quam alter. Dicitur autem univoca univocantia esse nomina, quæ significant, ut indicetur, hæc nomina secunda æque ac prima sua objecta significare. Objecta illa sunt naturæ communes pluribus in eadem significazione; quæ sane non insunt nominibus illis nisi significative; unde etiam univoca univocantia univoca signi vocitari solent. Porro cum objecta univocorum univocantium in illorum definitione ponantur, videri poterat hoc ipso peccari, dum non sunt iis essentialia. Sciendum adeo, habitudinem, quam hæc nomina ad objecta sua dicunt, esse de essentia eorum, eamque non posse exprimi, nisi ipsa objecta definitioni inserantur. Alias hic notandum venit, convenire univoca univocantia & æquivoca æquivocantia, quod utraque sint nomina; differre contra, quod, sicut illa significant naturam aliquam pluribus communem in eadem significazione, ita hæc talem naturam non significant V. G. vox canis in ordine ad animal latrabile & sidus est æquivocum æquivocans, & quatenus tale, non significat naturam pluribus illis communem in eadem significazione. Notat enim nihil aliud, quam animal latrabile; tale vero solum illud animal terrestre est, non itidem sidus. Unde illi nomen canis tantum est commune non natura per illud denotata.

S. 10. Licet autem, uti ex dictis constat, univocum univocans & æquivocum æquivocans sint virtualiter contradictoria, cum unum

unum per negationem alterius explicitur; non tamen implicat, & quivocum & equivocans univocum univocans esse. Videtur quidem prima fronte hoc assertum impingere in communissimum illud principium Philosophicum: Impossibile est idem simul esse & non esse, verum omnis difficultas jugulabitur, si notaverimus, & equivocum & equivocans non respectu eorundem, sed diversorum inferiorum, esse univocum & & equivocum. E. G. vox, homo, est & equivocum & equivocans respectu hominis veri & picti, univocum vero univocans respectu suorum individuorum: Regula enim adducta tantum vult, aliquid non posse idem simul esse & non esse ad idem i. e. cum eodem respectu, bene tamen cum diverso. Facit nobiscum Thom. Summ. Theol. part. I. Quæst. 13. art. 5. dicens: Omne & equivocum reducitur ad univocum, nempe ratione prædicationis, ut ipse explicat. Nam si hoc nomen canis & equivoce dicitur de latrabilis & marino, oportet, ut de aliquibus dicatur univoce scilicet de omnibus latrabilibus.

S. II. Tandem hoc loco non est prætermittendum, quod ad univoca univocantia in genere non requiratur, ut sint universalia. Naturam quidem si consulas, quæcunque univoca univocantia universalia esse deprehendes. Quod si vero ad mysterium SS. Trinitatis oculos converteris, univocum quoddam singulare habebis. Vox, DEUS, enim respectu trium personarum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, est univocum univocans, cum significet naturam, puta divinam, communem, sine tamen sui multiplicatione, pluribus, tribus personis, in eadem significatione. Unde univocum singulare erit nomen significans naturam absque sui multiplicatione pluribus communem in eadem significatione.

S. 12. Usivoca univocata sunt, quorum nomen est commune & ratio Substantiæ secundum illud nomen. Arist. Tom. I. c. I. de Antepred. E. G. Homo & brutum sunt univoca univocata, quia habent nomen commune, quod est vox animal, itemque rationem substantiæ per hoc nomen denotatam; tam enim homo quam brutum est corpus animatum sentiens; ast corpus animatum sentiens est ratio substantiæ per nomen animal significata. Ne vero hæc non satis intelligantur, observandum (1.) quando dicitur in definitio-ne data, quorum nomen est commune; per nomen commune intelligi illud, quod habet eadem accidentia Grammatica, V. G. idem

genus, eandem syllabarum quantitatem &c. Ratio, quia alias non  
esset una vox, sed revera plures; quomodo E. C. propago, quatenus  
de vitibus & posteris enunciatur, non est nomen commune, cum di-  
versam syllabarum quantitatem agnoscat. (2.) Per rationem Sub-  
stantiae non designari Substantiam, quæ contradistinguitur Acciden-  
ti; dantur quippe etiam univoca univocata Accidentalia; hæc au-  
tem nullo modo possunt participare naturam aliquam communem,  
quæ sit substantia; sed potius, ut Excell. D. Bechm. in *Instit. Log.* l. 1.  
c. 4. & alii volunt, essentiam seu quidditatem, quæ substantia vo-  
cari videtur, quod in textu Græco *Aristot.* b. l. sit στοιχεῖον, vox substantiam &  
essentiam indifferenter notans. (3.) per verba, secundum illud nomen, significari, non sufficere ad univoca univocata, si obti-  
neant idem nomen, & quamcumque rationem Substantiae eandem,  
sed requiri ad ea, ut habeant rationem Substantiae per nomen com-  
mune denotatam. Si enim prius sat esset ad univoca univocata  
constituenda, æquivoca æquivocata quatenus talia forent univoca.  
E. G. sidus & animal latrabile sunt æquivoca æquivocata in respectu  
ad vocem, Canis, futura autem essent univoca, si ad ea non plus re-  
quieretur, quam habere idem nomen & eandem naturam; quatenus enim sunt æquivoca, commune iis est nomen, Canis, communi-  
nis pariter natura, nempe corporis. Verum, quid absurdius, quam  
æquivoca æquivocata manente eodem æquivoco æquivocante esse  
univoca? Est igitur indubitatum ad univoca univocata necesse esse,  
ut habeant essentiam per nomen sibi commune denotatam. Sunt  
autem nomina communia univocis univocatis in duplice differentia;  
aliis ex primitibus totalem inferiorum essentiam, ut vox, homo,  
essentiam individuorum humanorum; aliis designantibus partem  
essentiae inferiorum, ut animal respectu hominis & bruti. Patet  
ad eum nomine univocorum univocatorum non tantum dignanda esse  
ea, quæ adæquatam, sed etiam quæ inadæquatam essentiae identita-  
tem habent. Conveniunt autem univoca univocata & æquivoca  
æquivocata in hoc, quod utraque habeant nomen commune; diffe-  
rent, quod æquivoca æquivocata naturam eandem per nomen sibi  
commune expressam non, univoca univocata contra agnoscant.

§. 13. Univoca univocata essentialia sunt, quæ habent no-  
men commune eandemque rationem per nomen illud denotatam,  
quæ

quæ utrisque est essentialis. Essentialia alicui rei carentur, quod in ejus cognitione primo concipitur; primò autem illud in rei cognitione concipi dicitur, quo cognito intellectus acquiescit, nec ad priora in ea recognoscenda tendit, cum videat non posse rationem à priori inveniri, cur hoc rei competit. Sic V.G. natura animalis tam in homine quam in bruto primò concipitur, adeoque erit iis essentialis. Quia autem præter eam participant quoque nomen, quo exprimitur, nempe *animal*, patet, quod univoca univocata essentialia rectè dici possiat.

§. 14. Univoca univocata accidentalia sunt, quæ habent commune nomen & eandem rationem nomine illo designatam, quæ tamen iis accidit. Accidere dicitur rei, quod quasi ad eam cadit, sive extra essentiam ejus esse ab intellectu cognoscitur. Sic E.G. natura, quam nigredo dicit, intelligitur esse extra essentiam monodelphæ & corvi, ac id propter iis accidere dicitur, nisi, quatenus nigra sunt, considerentur; Sic enim nigredo est de essentia illorum. Cum autem à natura illa inhærente etiam vocentur nigræ dictæ aves; patet illas esse univoca univocata accidentalia; habent enim idem nomen & eandem naturam, quam nomen illud exprimit, quæque iis est accidentalis. Conveniunt univoca univocata essentialia & Accidentalia per omnia, nisi quod illa naturam participant sibi essentialiem, hæc accidentalem.

§. 15. Univoca participata dicunt esse naturas illas communes, quæ per univoca univocantia significantur. Sic natura humana est univocum participatum, quia per nomen homo, quod est univocum univocans, exprimitur. Francisc. de Oviedo Tom. 2. *Cursum Philos. Contr. i. metaph. punct. i.* Hæc univoca vocat univocantia, quod tamen non simpliciter est admittendum. Ut enim in superioribus videre est, ad univocum univocans requiritur, ut sit nomen; at vero hujusmodi non est nomen. Distinguendum adeo inter univocum univocans formaliter & fundamentaliter tale: Quod est formaliter tale, supra est definitum: illud vero, de quo h. l. agitur, est fundamentaliter tale, cum sit fundamentum, cur intellectus univocum formaliter univocans esse voluerit. Dicuntur autem univoca ista participata, quia ab univocis participiibus participantur.

§. 16. Ex

S. 16. Ex his sicut univoca participantia esse, quæ naturam illam communem participant. E. G. Homo & brutum dicuntur univoca participantia, quia naturam communem, quam vox animal notat, habent. Vocat hæc Franc. de Oviedo l. c. univoca univocata; ubi iterum non potest intelligere univoca formaliter univocata; ab illis enim univoca participantia ita distinguuntur, ut, sicut illa habent nomen commune, & naturam per illud denotatam; ita hæc solam naturam participant: Intelliget igitur univoca fundamentaliter univocata.

S. 17. Cum autem nullum eorum, quæ sunt, excepta causa prima, habeat esse suum à se, & non potius ab alio, univoca pariter causam Efficientem agnoscent. Est autem causa illorum Efficientis intellectus, qui, sicuti rebus nomina prima imposuit, ita quoque nominibus primis secunda superaddidit. Vocantur hinc nomina secunda accidentia rationis, cuiusmodi etiam sunt univoca. Non autem existimandum, illa esse Accidentia rationis ratiocinantis; sic enim essent non - Entia; sunt enim potius accidentia rationis ratiocinatae, quia propter certum aliquod fundamentum esse aliquod per intellectum acceperunt.

S. 18. Causa finalis, cur sint, est, ut inserviant cognitioni prædicabilium & prædicamentorum. Ita autem ei inserviunt, ut futura esset illa manca, imò fere nulla, si hæc doctrina tolleretur. Quod enim est vel ad prædieabilia vel ad prædicamenta referendum, univocum esse debet. An autem tale sit, non potest sciri nisi præsupposita univocorum notitia. Elucet adeo singularis harum cognitionum necessitas. Cum enim sine iis prædicamenta & prædicabili, uti dictum, nequeant recte intelligi; illis autem nos recte intellectis, nulla enunciatio, demonstratio, definitio, divisio, legitimo modo possit formari, patet, doctrina de univocis ignorata, totius analyticæ accuratam cognitionem desideratum iri.

S. 19. Hæc de univocis in genere pertractatis sufficiant; jam specialiora consideratur, quærimus, num detur quoddam univocum univocans respectu DEI & creaturæ, substantia & Accidentis? Nos affirmamus quæsumus, cum, ut ex subsequenti quæstione patescet, Eos arbitremur respectu dictorum univocum univocans esse. Rejicit quidem nostram sententiam Pet. Hurt. de Mendoza, quæstionem

nem tamen propositam adstruunt part. 1. disp. Log. 9. Sect. 4. subf. 8.  
concedens quosdam conceptus attributorum DEI univoco convenire  
cum creaturis, ut rationem voluntatis, justitiae &c. & principium  
activum esse univocum respectu Substantiae & Accidentis.

S. 20. His præmissis, porro quærimus, quomodo Ens sese  
habeat ad DEUM & creaturam, Substantiam & Accidens? Quæ  
quæstio ut eo melius intelligatur, in antecessum notandum. Ens su-  
mi dupliciter: (1) participialiter (2) nominaliter. Ens nominaliter  
acceptum solam essentiam rei significat. Participialiter vero  
sumptum essentiam & existentiam simul. Posterior entis acceptio  
est hujus loci. Quæritur adeo, quomodo Ens participialiter acce-  
ptum se habeat ad dicta inferiora? Et quidem triplex hic potest esse  
respondendi modus: (1) dici potest, quod se habeat ad inferiora  
sua ut analogum analogans, (2) ut æquivocum æquivocans, (3) ut  
univocum univocans. Pro prima sententia stant Frant. Murcia,  
part. 1. curs. phil. disp. 2. quest. 1. super Antepræd. Sebeib. in Metaph.  
l. 1. c. 2. tit. 3. Art. 3. & l. 2. cap. 3. tit. 5. p. 7. Thom. sum. Theol. part. 1.  
quest. 13. art. 5. Quin Murcial. c. vocat eam communem Thomista-  
rum sententiam. Secundam fovere quendam, nomine Aureolum,  
Auctor est Murcial. c. & alium, Rabbi Moses, ex Thoma testatur  
Scheibler. lib. 2. cap. 3. tom. 5. p. 2. Tertiam adstruunt Franc. de  
Oviedo tom. 2. Curs. Phil. Controv. 1. metaph. p. 8 Fulgent. Schaut-  
beet in Controv. Phil. l. 1. contr. 7. Qui ibidem quoque affirmat  
secura sentire Scotum, ejusque Aſſeclas omnes. Et hanc ultimam,  
uti §. præced. indicavimus, cum videatur ceteris veritati conformior,  
nostram facere non dubitamus.

S. 21. Ne autem sine ratione hoc statuere videamur, argu-  
mentamur pro assertione nostra stabilienda. (1) Quicquid est no-  
men significans rationem aliquam pluribus, DEO & creaturæ, Sub-  
stantiæ & Accidenti communem in eadem significatione, illud re-  
spectu illorum est univocum univocans. Atqui Ens est nomen signi-  
ficans rationem aliquam pluribus, DEO & creaturis, Substantiæ &  
Accidenti communem in eadem significatione. E. Ens Respectu  
illorum est univocum univocans. Majorem firmat Regula illa To-  
pica: Cui competit definitio, ei competit & definitum. Cum e-  
nim illi, de quo in majore sermo est, tribuatur definitio univoci u-  
nivocantis certorum univocatorum, ipsi quoque vi hujus Regulæ re-

et ceteris potest ipsum definitionis illius definitum nempē univo-  
cum univocans eorundem univocatorum. Minor probatur, quan-  
tum ad id, quod Ens sit nomen, quia est vox significans ex impositio-  
ne absque tempore, cuius nulla pars significat separatis, & quæ  
cum verbo est, erat, vel erit, significat verum vel falsum. Hæce-  
niam juxta ipsum Aristotelem nominis est definitio, ex cuius partici-  
patione aliquid nomen dicitur. Quod vero sit nomen significans  
rationem aliquam dictis inferioribus communem, constat ex §. præ-  
ced., ubi dictum, Ens participialiter acceptum significare essentiam  
existentem: Hæc quippe est ratio, quæ DEO & creaturæ, substanciæ &  
accidenti communis, & quidem in eadem significatione, cum,  
sicuti DEUS, ita reliqua omnia revera existant, nihilque revera ex-  
istat, nisi cui est essentia existens. (2) Aut Ens est æquivocum æ-  
quivocans respectu dictorum inferiorum, aut univocum univocans.  
Atqui non est æquivocum æquivocans respectu dictorum inferio-  
rum. Ergo est univocum univocans. Major est certa, cum æquivocum  
æquivocans, & univocum univocans sint virtualiter contra-  
dictoria, uti probatum est §. præced. 10. Inter talia autem nullum  
datur medium. Minor constat, quia æquivocum æquivocans est  
nomen, quod non significat rationem aliquam pluribus commu-  
nem in eadem significatione. At tale nomen non est Ens, cum potius  
designet naturam inferioribus suis communem in eadem signifi-  
catione, uti antea dicta considerantem non poterit latere.

§. 22. Ex quibus arbitror veritatem theses nostræ non me-  
diocriter elucere. Ut tamen clariori adhuc exsplendescat jubare,  
diluemus argumenta, que ab Adversariis passim proferuntur. Illi  
igitur, qui pro æquivatione Entis in ordine ad DEUM & creatu-  
ram, Substantiam & Accidens, militant, existimant, quod Ens sit  
nomen aliam naturam significans in DEO, quam creaturæ, substanciæ,  
quam Accidente, indeque hujusmodi noctunt contra nos argu-  
mentum: Si Ens est nomen, aliam naturam designans in DEO  
quam creaturæ, in substantiæ quam Accidente, sequitur, quod re-  
spectu eorum sit æquivocum æquivocans & non univocum univo-  
cans. Sed prius est verum. Ergo & posterius. Connexio majo-  
ris est aperta, quia nomen, Ens, h. m. inferioribus est commune,  
non tamen significat naturam in iis eandem, sed diversam. Ast tale  
nomen

nomes est æquivocum æquivocans , uti notum . Prius probant  
(1) quoad id , quod Ens aliam naturam designet in DEO quam  
creatura , quia in DEO exprimit essentiam existentem infinitam , in  
creatura vero finitam . (2) quoad alterum , quod aliam rationem  
notet in Substantia , quam accidente , ex Aristotele , qui 7. Metaph. c. 1.  
inquit : Cetera ( Accidentia ) entia dicuntur , quia Entis vere talis  
( Substantia ) quedam sunt quantitates , quedam qualitates , que-  
dam passiones , quedam aliquid aliud tales . Hinc inferunt : Si Ac-  
cidens per hoc dicitur Ens , quia Substantia dicto modo inest , Sub-  
stantia vero , quia existit , sequitur Ens aliam naturam significare in  
Substantia quam Accidente . Ratio consequentia , quia in substan-  
tia exprimit simpliciter essentiam existentem ; in Accidente vero es-  
sentiam existentem in alio . Verum his non obstantibus manebit as-  
sertio nostra sarta tecta . Negamus quippe prius utpote veritati non  
consentaneum . Ad priorem partis ejus probationem dicimus , eam  
esse falsam , cum Ens , uti hic spectatur , non significet naturam ex-  
istentem finitam vel infinitam , sed talem , qua ab utraque illa præ-  
scindit . Probatur hoc , quia , si dicam : Datur Ens ; nihil aliud in-  
tellectui nostro repræsentatur , quam aliquid , cui est essentia existens .  
Natura igitur , quam significat Ens ; non est essentia existens finita  
vel infinita , sed essentia existens sine addito . At vero hæc neutram  
exillis includit , & tam DEO quam creaturæ competit : Unde Ens  
significabit naturam in iis eandem . Posteriorem partis prioris pro-  
bationem pariter rejicimus . Notandum igitur ad accuratiorem  
loci ex Aristotele adducti intellectionem (1) Philosophum ibi non  
agere de Substantia & Accidente absolute , sed respective , comparan-  
do illa inter se . (2) dicere Substantiam Ens vere tale secundum ex-  
cellentiam , quia ex illa consideratione constabat , Substantiam longe  
nobiliorem existentiam habere accidente (3) per illa verba , quia  
Entis vere talis quedam sunt quantitates &c. cum non exprimere  
voluisse rationem à priori , cur Accidens sit , & dicatur Ens ; illa e-  
nim est essentia existens in Accidente participata ; sed potius ratio-  
nem à posteriori sive conditionem , sine qua Accidente non possit esse ,  
nec dici Ens . Si enim non esset in Substantia , plane non esset , cum  
Accidentis esse sit inesse ; si vero non esset , non posset dici Ens , ne-  
que naturam , quam ens dicit , possidere , cum Ens sit , quod existit .

Unde ulterius fluit, quid sit respondendum ad id, quod Adversarii ex loc. cit. colligunt. Limitandum similitudinem h. m. est. Si Accidens absolute consideratum dicitur Ens per hoc, quia Substantia dicto modo inest, tanquam per rationem à priori, Substantia vero, quia existit, sequitur &c. Sic enim prius falso affirmabitur; uti ex dictis clarum est.

§. 23. Præcipuo argumento, quo æquivocatio entis in ordine ad inferiora sua probari posse videbatur, sublato, non reperio sententia illius Fautoribus aliquid alicuius momenti adhuc superesse, quod contra nos urgeant. Cum Analogia Entis respectu Dei & creaturaræ, Substantiæ & Accidentis, propugnatoribus igitur deinde nobis res erit. Hi inter alia inæqualitatem aliquam esse in natura, quam ens significat, & hinc ens minus recte univocum univocans vocitari, contendunt. Unde argumentantur: Quodcumque nomen significat naturam inæqualiter respicientem inferiora sua, illud respectu illorum non est univocum univocans. Atqui Ens significat naturam inæqualiter respicientem inferiora sua. E. Ens respectu eorum non est univocum univocans. Majorem volunt stabilitatem ex eo, quod natura, quam univocum univocans denotat, debeat esse plane eadem: Ast natura, quæ inæqualiter respicit inferiora, non est plane eadem, cum in se aliquam contineat inæqualitatem. Minorem probant h. m. Si natura, quam ens notat, prius contrahitur ad DEUM, quam creaturam, substantiam, quam Accidens, sequitur, quod Ens significet naturam inæqualiter respicientem inferiora sua. Atqui prius est verum. Ergo & posterius. Connexio majoris patet, quia, quæ natura per prius contrahitur ad unum inferiorum, per posterius ad alterum, illa per prius & posterius inferiora illa respicit. Per prius autem & posterius respicere est inæqualiter respicere. Prioris veritatem, quantum ad id, quod dicat. Ens prius contrahi ad DEUM quam creaturam, arcessunt ex eo, quod creatura dependeat à DEO in esse & cognosci. Inde concludunt, pariter cognitionem, quæ natura per nomen Ens significata restringitur ad creaturam, dependere ab ea, quæ ad DEUM contrahitur, adeoque illam necessario supponere; quantum vero ad alterum, quod vult, Ens prius contrahi ad substantiam quam Accidens, probant, quia proximius Ens respicit differentia substantiæ, percitas, quam Accidentis, inaleitas,

& id

& id propter etiam prius contrahit. Quibus instantibus, haec poterit negari, naturam, quam Ens notat, prius contrahi ad DEUM quam creaturam, substantiam, quam Accidens. Ut ut autem hæc omnia aliquam probabilitatis speciem præ se ferant, non tamen infringunt entis univocationem. Quod ut patescat, argumenta hactenus proposita erunt examinanda. Et quidem Majorem primi argumenti h. m. limitatam: Quocunque nomen significat naturam EX SE inæqualiter respicientem inferiora sua, illud &c., mittimus, quicquid de veritate ejus sit, respondentes ab minorem illius negando. Consequenti majoris Syllogismi in hujus probationem positi limitationem majori prioris argumenti additam, & in minore ejus repetendam inserimus, ut sic ipsa præcedentis syllogismi minor conclusio fiat argumenti eam probatur: Unde tota major erit talis. Si natura, quam Ens notat, prius contrahitur ad DEUM, quam creaturam, substantiam, quam Accidens, sequitur, quod Ens significet naturam EX SE inæqualiter respicientem inferiora sua. Et sic consequens merito negamus, cum ex antecedente hoc tantum sequatur, quod ens significet naturam per differentias contrahentes inæqualiter inferiora respicientem; id quod etiam in probatione hujus propositionis tantum evincitur. Sicut enim differentiae illæ faciunt, ut per prius ad Deum & substantiam, per posterius ab Creaturam & Accidens natura, quam Ens notat, contrahatur, sic quoque facient, ut inferiora sua inæqualiter illa natura respiciat. Fatemur adeo, utique inæqualia entia esse DEUM & creaturam; DEUM esse Ens independens, infinitum, creaturam dependens & finitum, dicimus tamen, omnem inæqualitatem, quæ hic animadvertisit, non in naturam per nomen Ens designatam, sed in differentias, per quas contrahitur, redundare. Si enim quæras, quare DEUS est nobilior Ens, quam creatura? non recte Respondetur; quia est Ens, sed quia est tale Ens sc. independens & à se, creatura vero dependens & ab alio. In substantia & accidente par est ratio. Deinde poterat prius falsitatis argui; Licet enim Ens à parte rei per prius sit in DEO & substantia, quam in creatura & accidente, quia tamen hic alia quadam ratione consideratur, nempe ut est ab his inferioribus per actum intellectus abstractum & vicissim ad ea contrahendum, non necessario prius ad DEUM quam creaturam, substantiam quam Accidens contrahitur, sed æque imme-

invenire ad hanc inferiora potest restringi. Hoc ut videas, nota,  
quod contradic̄tio entis sit actus intellectus, quo illud ad aliquid in-  
ferius limitatur: Quando igitur Ens contrahendum est ad DEUM  
& creaturam, duo erunt tales actus; alter, quo ad DEUM, alter, quo  
ad creaturam determinatur; hic vero non dependet ab illo, uti male  
supra in probatione rejecti prioris fuit assertum, quia eum non ne-  
cessario supponit, neque influxum aliquem ab eo habet; unde pro ar-  
bitrio intellectus nunc prior nunc posterior potest esse illo. Quod  
possit esse prior isto, patet, quia intellectus per hunc Ens potest ad  
creaturam contrahere, antequam id ipsum per illum ad DEUM con-  
trahat. Quia igitur contractio, qua Ens ad creaturam contrahitur,  
nunc potest esse prior altera, qua ad DEUM determinatur, nunc hanc  
posterior illa prior esse potest, clarum est, Ens æque immedite ad  
DEUM & creaturam posse restringi. Idem de substantia & Acci-  
dente sentiendum. Exeo, quod supra dictum, creaturam à DEO in  
esse & cognosci dependere, nihil aliud fuit, quam cognitionem, qua  
creatura cognoscitur, simul etiam terminari ad DEUM tanquam  
creatorem. Quin, si ex eo sequeretur, aliam esse cognitionem DEI,  
qua cognoscitur ut Creator, aliam creaturæ, illamque hac esse prio-  
rem, nondum tamen esset probatum, ens prius contrahi ad DEUM  
quam creaturam, cum illæ cognitiones nondum Ens contrahantur.  
Antecedunt quippe abstractionem Entis, quia ante illam DEUM  
creaturamque intellectui repräsentant, qui rationem aliquam com-  
munem, quæ vocatur Ens, ab iis abstractus: Unde etiam antecedent  
actus Ens vicissim ad inferiora per differentias constitutivas contra-  
dictivos. Ad alterum, quo dicebatur perfectatem proximus respice-  
re Ens, quam inaleitatem, adeoque etiam illud prius contrahere;  
respondemus, non sequi; quia perfectas proximus respicit Ens,  
quam inaleitas, etiam illud prius contrahit; Ratio negationis est,  
quod perfectas non contrahat ens, sed potius intellectus per certum  
aliquem actum, uti ex ante dictis constat.

§. 24. Primum argumentum, quo inæqualitatem aliquam  
univocationis destructricem in natura, quam Ens dicit, probare sata-  
gunt Antagonistæ, postquam refutavimus, secundo loco ponimus  
hoc, quod eundem in finem ab iis fabricatur: Si natura per nomen  
Ens denotata habet capacitatem, qua per prius potest contrahi ad  
DEUM

DEUM. & aliam, qua per posterius potest determinari ad creaturam, sequitur, naturam illam in se continere aliquam inæqualitatem. Atqui natura per nomen Ens denotata habet capacitatem, qua per prius potest contrahi ad DEUM, & aliam, qua per posterius potest determinari ab creaturam. E. Sequitur naturam illam in se continere aliquam inæqualitatem. Majoris connexio est aperta, cum inæqualitas aliqua ex tali distincta capacitate non possit non oriri. Minorem probant, quia natura per nomen Ens designata per prius ad DEUM contrahitur; E in ea sit necesse est capacitas ad talem contractionem; it. per posterius ad creaturam. E. etiam ad eam capacitas in dicta natura erit. Ut autem hujus argumenti falsitas demonstretur, negamus minorem. Et quidem, si Adversarii existiment, capacitatem, qua Ens per prius possit contrahi, & aliam, qua per posterius, distinctas ab ipsa indifferentia Entis ad contrahendum, in natura entis ut sic esse, plane absurdum sunt, cum ne unica quidem capacitas h. m. in ea reperiatur. Quod si tamen velint talem capacitem esse ipsam indifferentiam Entis ab contrahendum, ut omnino videntur velle, non duplex in natura per nomen Ens significata est capacitas, qua ad inferiora possit contrahi, sed una tantum. Hoc constat ex eo, quod non distinguatur formaliter à ratione Entis abstracta. Ad hæc est una. E & capacitas. Eam non distingui formaliter à ratione Entis abstracta, probatur, quia ex eo præcile dicta ratio, quod concipiatur à DEO & creatura, substantia & Accidente præscindere, indifferentis est, ut contrahatur ad quodcumque ex his inferioribus; hæc vero; indifferentia est ipsa illa capacitas juxta ante dicta. Respiciunt autem hanc capacitem diversæ contractiones, nempe quæ sunt per prius & posterius; & aliquam gignunt inæqualitatem. Ut adeo, quæ hic cernitur inæqualitas, illa non insit dictæ capaciti, sed ex diversitate contractionum oriatur. Probatio minoris tantum evincit, naturam, quam Ens dicit, habere unam capacitatem, quæ est indifferentia ad contrahendum, qua possit contrahi per prius & posterius, utpote quæ duplice illi contractioni sufficit, ut ex prioribus evidens est. Cum itaque una tantum sit capacitas s. indifferentia in natura per nomen Ens significata, & quidem cum natura illa identificata, manebit dicta natura sine inæqualitate, adeoque nomen Ens, quod eam denotat, univocum univocans.

§. 25.

S. 25. Pet. Hurtad. de Mendoza part. i. disp. Log. 9. in na-  
tura per nomen Ens expressa inæqualitatem aliquam esse, probare ni-  
titur ex ejus transcendentia. Verum cum concedat in natura  
haec quatenus abstracta non plus includi inferiora, quam in conceptu  
animalis homo & leo, & in ea h. m. considerata nullam inæqualita-  
tem agnoscit, nolumus cum ipso nobis non adverso manus conferre.  
Sufficit quippe, ut Ens sit univocum univocans, si natura per illud  
significata in statu abstractionis ab inæqualitate sit libera, cum si in  
statu contractionis talem agnoscatur, illud vel ex differentiis contra-  
hentibus oriatur, sicuti ex refutatione argumentorum priorum vide-  
re est, vel ex alio aliquo naturæ huic secundum se consideratæ ex-  
trinseco.

S. 26. Atque sic puto satis apparere, nullam in natura per  
Ens ut sic significatæ esse inæqualitatem, adeoque ex hoc capite Ad-  
versarios nihil contra nos posse obtinere. Aliunde tamen adhuc u-  
nivationem Entis labefactare laborant; dum ita ratiocinantur:  
Quodcumque nomen est univocum univocans, illud est genus relpe-  
du suorum inferiorum. Atqui Ens est univocum univocans. Ergo  
Ens est genus respectu suorum inferiorum. Conclusionem dicunt  
esse absurdam, quia juxta illam daretur genus super genera genera-  
lissima. Majorem probant, quia genus univoce participatur à suis  
speciebus, adeoque est univocum univocans. Minorem ex hypo-  
thesi nostra assumunt. Ast quis non videt, majorem esse falsam?  
Eius probatio nihil aliud evincit, quam genus esse univocum univo-  
cans; at confirmare debebat solum genus esse univocum univocans  
ad adstruendum majorem universaliter veram esse. Non autem  
ita esse veram illam constat, quia species, differentia, proprium &  
Accidens etiam sunt univoca univocantia; quin etiam datur univo-  
cum univocans singulare juxta §. nostram ii. Deinde totum argu-  
mentum salva veritate posset concedi, in quantum affirmat Ens esse  
genus respectu Substantia & Accidentis. Quicquid enim est prædi-  
cabile de pluribus specie i. e. quoad differentiam specificam differen-  
tibus in quid, illud est genus, uti vult Aristoteles. Jam Ensest præ-  
dicabile de pluribus specie i. e. quoad differentiam specificam diffe-  
rentibus in quid; sc. de Substantia & Accidente. Unde Ens est ge-  
nus respectu dictorum inferiorum. Ens esse prædicabile de Substan-  
tia

tia & Accidente certum est; recte enim dico: Substantia est Ens, Accidens est Ens. Illud esse prædicabile de pluribus, Substantia & Accidente, quoad differentiam specificam differentibus, inde patet, quod differentia specifica Substantiae constituatur per seitas, accidentis inaleitas. Esse denique prædicabile de iis in quid, probatur, quia quærenti, quid est Substantia? recte respondetur; Ens; quid Accidens? Ens. Negandum adeo conclusionem in proposito argumento esse absurdam, cum super genera, quæ in Logicis ex communisententia generalissima vocantur, genus esse possit. An vero Ens etiam possit dici genus respectu DEI & creaturarum, de eo nihil determinamus. Illud certum est, quod juxta definitionem Aristotelicam hoc fieri nequeat: Quia de DEO non prædicatur tanquam de specie sua, cum Deus sit Ens singularissimum. Si tamen cum aliis definiatur genus, quod sit prædicabile de pluribus in quid, alter forsitan judicari posset.

§. 27. Contra id, quod dictum, Ens posse esse genus, partis contrariae addicti ita inferunt: Quicquid includitur in differentiis se contrahentibus, illud non est genus. Atqui Ens includitur in differentiis se contrahentibus. E. Ens non est genus. Majorem probant, quia hac ratione definitio speciei, cuius genus constitueretur Ens, fieret tautologica, cum in ea bis genus poneretur semel in differentia & semel extra eam. Deinde etiam differentia in hac definitione includeret totum, quod species, & sic ab ea non distingveretur inadæquate, quod tamen de ratione cuiusvis extremi componentis censetur. Minorem probant, quia Ens dicitur transcendentis, tale autem in inferioribus includitur. Hic (1) sciendum, Minorem vix absolute esse concedendam, cum sint, qui negent Ens in differentiis se contrahentibus includi. Respondent adeo ad illius probationem; Ens non dici transcendentis eo, quod in differentiis suis includatur, sed quia includitur in iis, quæ in linea recta sub eo continentur. Relinquimus tamen hæc in medio, & (2) negamus universalitatem majoris. Ratio, quia Accidentale generi est, in differentiis non includi; quod autem generi accidentale est, non necessario ei competit. Esse autem hoc generi accidentale patet, quia definitionem ejus non ingreditur. Potest adeo ad hoc, ut quid sit genus, sufficere, si in eo differentiæ non includantur, licet vel maxime genus in differen-

eius imbibatur. Quod hinc definitio speciei, cuius genus constitueretur Ens, tautologica futura esset juxta assertione supra factam, illud est falsum. Quamvis enim Eas bis ponatur in tali definitione, semel tamen distincte tantum & explicite ut materia sive determinabile in ea exprimitur, & sic est genus; in differentia vero, si vel maxime in ea includatur, confuse tantum continetur, ibique consideratur ut actus sive determinans & unum ab altero distinguens per modum, cum quo realiter identificatur. Esset autem definitio illa tunc demum tautologica, si in ea ens bis eodem modo poneretur. Post hanc concedere possumus, verum quidem esse assertum, quo supra, differentiam in hujusmodi definitione totum includere, quod species in se continet, affirmatum fuit; aliter tamen differentia id ipsum includit, illud, per quod in esse differentiae constituitur, distincte, genus autem speciei confuse tantum comprehendendo; aliter species, utrumque illorum explicite & distincte includendo. Cum vero hinc porro sit illatum, differentiam à specie inadæquate hoc modo non distingvi, licet hoc de ratione cuiusvis extremi sit; respondeamus, hoc quidem esse de ratione cuiusvis extremitocompositum constituentis, quod agnoscit compositionem realem: At vero compositum ex Ente & differentia, in quo Ens formaliter imbibit dicitur, non est compositum compositione reali, cum componatur ex genere & differentia, inter quæ rationis distinctio tantum intercedit. Unde nec de ratione extremitorum talis compositi est, ut distingvantur inadæquate à composito sive specie, quam constituunt, sed sufficit, si quod ad nostrum concipiendi modum hujusmodi distinctio ipsis competat.

g. 28. Refutavimus hactenus primaria argumenta, quibus univocatio Entis impugnatur, ideoque certi sumus satis constare, ens univocum univocans esse respectu univocatorum, DEI & creaturaræ, Substantiæ & Accidentis. Cum vero quidam sint univocorum univocatorum gradus, libet illos addere, ut videatur, in quo dicta inferiora sint. Et quidem in perfectissimo univocationis gradu dicuntur esse illa univoca univocata, quæ præter duo essentialia (idem nomen, eandemque naturam) habent (1) eundem modum essendi (2) eundem ordinem essentialium (3) Eundem perfectionis gradum. Talia sunt Petrus & Paulus respectu hominis, quia præter nomen homo,

homo, & naturam per illud significatam, habent eundem essendi modum, dum æque independenter significationem hominis participant: Eundem ordinem essentialem, dum neutri illorum significatio hominis per prius convenit: eundem gradum perfectionis, dum perfectio essentialis naturæ humanæ in iis est æqualis. Deinde quædam univoca univocata præter essentialia tantum duo habent, sc. eundem essendi modum & ordinem essentialem. Talia sunt homo & brutum respectu animalis. Postea quædam præter essentialia eundem tantum habent essendi modum. Ut binarius & ternarius respectu numeri. Denique alia non nisi dicta essentialia habent, quæ ideo quoque in imperfæctissimo univocationis gradu esse censentur: ut DEUS & creatura, substantia & Accidens respectu entis.

§. 29. Quibus excusis, in D E O T. O. M., cuius auxilio felicem laboris hujus exantlationem jure adscribo, finem habeat dissertatione. Sit ejus nomini sanctissimo laus, honor, & gloria in sempiterna secula.

## COROLLARIA.

### I.

**T**Heologia naturalis, ut ut teste Apostolo gentes ea abutentes reddit inexcusabiles, non tamen ostendit modum consequendæ salutis, cum hoc unicè revelatæ competit.

### II.

Philosophia non contradicit Theologiaz.

### III. Me.

III.

Metaphysicæ objectum adæquatum  
sunt transcendentia.

IV.

Deum esse à se, ipsum naturæ lumen  
docet.

V.

Substantiam esse Accidens, & Acci-  
dens esse substantiam, non implicat.

VI.

Ut ut anima sit in corpore humano,  
non tamen illud propterea necessario  
vivit.

VII.

Appetitus non est nisi boni.

IX.

Qui in vita privata diversorum ho-  
minum moribus ita se novit accom-  
modare, ut neminem ex iis offendat,  
Politicus communiter, sed abusivè,  
vocatur.

IX.

Unitas non est numerus.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730589196/phys\\_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730589196/phys_0027)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn730589196/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730589196/phys_0028)

DFG

tia & Accidente certum est.  
Accidens est Ens. Illud est  
Accidente, quoad differentia  
quod differentia specifica Su-  
tis inaleitas. Esse denique  
querenti, quid est Substantia  
dans? Ens. Negandum ad  
to esse absurdam, cum sup-  
sententia generalissima vo-  
etiam possit dici genus respe-  
terminamus. Illud certum  
cam hoc fieri nequeat: Qui  
specie sua, cum DEUS si  
aliis definiatur genus, quod  
ter forsitan judicari posset.

§. 27. Contra id, q  
contrariae addicti ita inferuntur  
contrahentibus, illud non est  
differentia se contrahentibus.  
bant, quia hac ratione desi-  
Ens, fieret tautologica, cum  
rentia & semel extra eam.  
tione includeret totum, quo  
inadequate, quod tamen de-  
censetur. Minorem proba-  
autem in inferioribus includi  
absolute esse concedendam,  
se contrahentibus includi.  
Ens non dici transcendentis  
sed quia includitur in iis, q  
Relinquimus tamen haec in  
majoris. Ratio, quia Acci-  
clidi; quod autem generi a-  
tit. Esse autem hoc generi  
non ingreditur. Poteat ad  
in eo differentiae non includa-




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. [redacted]

dico: Substantia est Ens,  
de pluribus, Substantia &  
differentibus, inde patet,  
ituatur perseitas, acciden-  
tis in quid, probatur, quia  
condetur; Ens; quid Acci-  
dem in proposito argumen-  
te in Logicis ex communi  
esse possit. An vero Ens  
naturarum, de eo nihil de-  
definitionem Aristotelici  
prædictatur tanquam de-  
fissimum. Si tamen cum  
e de pluribus in quid, ali-  
ter forsan judicari posset.

ns posse esse genus, parti  
cluditur in differentiis se  
ni Ens includitur in dif-  
ferentia genus. Majorem pro-  
opus genus constitueretur  
poneretur semel in dif-  
ferentia in hac defini-  
ab ea non distingveretur  
vis extremiti componentis  
dicitur transcendens, tale  
Sciendum, Minorem vix  
negent Ens in differentiis  
leo ad illius probationem;  
fferentiis suis includatur,  
ta sub eo continentur.  
egamus universalitatem  
est, in differentiis non in-  
non necessario ei compe-  
ret, quia definitionem ejus  
quid sit genus, sufficere, si  
maxime genus in differen-  
tiis